

datur l. Hujus. 6. ff. qui potiores in pignor. quia ita mutans pecunia sua salvam fecit totius Pignoris causam. Ad eundem locum pertinent, qui ad emendam, vel ædificandam noviter domum vel aliud ædificium mutuas dederunt pecunias, hæc tamen cum distinctione, ut dum ita mutuo dans privilegio hoc gaudere vult, sibi simul rem, ad quam emendam, vel ædificandam mutuas dat pecunias, sibi pro expressa hypotheca pacificendo statim reservet, textu claro l. Quamvis. 17. C. de Pign. & hypoth. & l. Licet. 7. ff. Qui potiores in Pign.

86 Sexto loco collocantur uxores quoad dotem allatam; quia uxores pro hac tacitam hypothecam, & jus prælationis ante reliquos creditores actione personali gaudentes, habent. Ita expressè habetur l. Affiduis. 12. C. Qui potiores in pign. junctâ l. un. C. de Rei uxor. act. Præferuntur etiam hypothecariis creditoribus, casu quo hypotheca primum post matrimonium, & dotem allatam, non item si antea constituta est; uti cum communi aliorum bene docet Gailus lib. 2. Observ. 25. n. 10. Zoëf. in §. Fuerat. num. 22. §. 29. Instit. de Actio. ubi dicit, hanc sententiam esse verissimam, eamque tenet Glossa in cit. l. Affiduis. §. Licet anteriores.

87 Dicitur notanter, quoad dotem actu jam allatam; quia quoad dotem tantum promissam vel cautam, item confessam à marito, quasi data jam esset, cum data & numerata non sit, Communis tenet, uxorem nullo gaudere prælationis Privilegio; prout videre est apud Gailum lib. 2. Observ. 81. per totum. ubi etiam tenetur, hanc esse in Camera approbatam opinionem. Ratio est; tum quia dotem numeratio, non scriptura facit; & idè non ignoras ita demum ad petitionem dotis admitti posse, si dotem à te ipsâ datam probatura es. Concordat l. Si ex cautione. 3. C. de non numerat. pecun.

88 Septimus locus competit pupillis, & minoribus, atque aliis curatorem habentibus; ut sunt prodigi, amentes &c. item causis piis respectu bonorum, Tutorum, Curatorum, administratorum &c. utpote in quæ tacitam hypothecam, ac ideo jus prælationis præceteris, etiam anterioribus Chirographariis creditoribus, & posterioribus hypothecariis, non item anterioribus hypothecariis habent, sicut supra de uxore dictum. De pupillis, minoribus, prodigis, res in Jure certa est, per L. 4. §. 1. de Privileg. credit. ac L. fin. de Tit. ac ration. distrah. cum concordantiis. De causis piis controversia est inter Doctores, uti videre est apud Berlich lib. 1. concl. 67. n. 47. & seqq. tamen quia gaudent Jure Minorum, eisdem hoc privilegium denegandum non est.

89 Octavum locum possidet Fiscus in bonis eorum, qui cum eo contraxerunt, vel administrationem rerum ad Fiscum pertinentium habuerunt; quia Fiscus in horum bonis tacitum pignus habet; Nam Certum est ejus, qui cum Fisco contrahit, bona veluti pignoris titulo obligari, quamvis specialiter id non exprimitur, L. 2. C. In quibus causis Pign. tacit. ac l. Aufertur. 46. §. 3. ff. de Jure Fisci, cum concordantiis. Et hinc

non tantum anterioribus creditoribus Chirographariis, sed etiam posterioribus hypothecariis, non item anterioribus præferuntur.

Nono loco ponuntur creditores, qui habent hypothecam expressam; hi enim quoad bona hypothecata vel oppignorata præferuntur reliquis supra non recensitis, qui solam actionem personalem habent. l. Eos. 9. C. Qui potiores in pign. ibi: Qui acceperunt pignora, cum in rem actionem habeant, privilegii omnibus, quæ personalibus actionibus competunt, præferri constat. l. Si pignus. 8. ff. Qui potiores in Pign. cum concordantiis. Molina lo. cit. num. 23. Quinam autem ordo sit observandus inter ipsos hypothecarios expressos, superius Tit. 21. de Pignor. num. 78. & seqq. dictum est.

Huc reducunt Faber de Errorib. pragmat. Decad. 91. 6. error. 3. Rhaat Assert. 99. per totum, & alii etiam illos creditores, qui tacitam hypothecam habent. Ratio eorum est; quia cum tacita hypotheca æquè, ac expressa rem afficiat, l. Si quis. 8. C. de secund. nupt. nec apparet ratio, cur hypotheca constituta ab homine sit majoris virtutis, ac constituta per Legem, merito hypotheca tacita ejusdem efficacie cum expressa quoad propositum habetur, L. 2. & 4. C. Qui potiores in pignor.

Tandem veniunt creditores personales, seu Chirographarii nullum jus prælationis habentes; quorum de Jure communi nullus præferatur alteri, est aliqui eorum potiores sint tempore, & antiquiorem præntentionem habeant; ut prout in his Juris regula 54. de Reg. Jur. in 6. Qui prior est tempore, potior est Jure, non attendatur; sed si media non sufficiant, singulis debita solvantur pro rata, ita ut qualis est proportio debiti ad debitum, quoad quantitatem, talis sit proportio ejus, quod quisque accipit, ad id, quod alii accipiunt, Molina Disp. 536. n. 41. Gailus Observ. 25. num. 13. ac alii, arg. l. Privilegia. ff. de Privileg. credit. l. Si hominem. 7. §. fin. ff. Deposit. ac l. Pro debito. 6. C. de bon. auth. Jud. poss. ibi: Equali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest.

De Jure Bavarico in processu Edictali, Gand-Processus sequens in solvendis creditoribus, casu quo debitor credit bonis, servatur ordo à Jure communi haud multum difformis, & de reliquo æquitati summe consentaneus, uti legenti articulos patet, in quos latè Illustrissimus D. Schmidt. Primo loco ponuntur sumptus Judiciales. 2. Impensæ funerales, cui æquiparantur expensæ in Pharmacopœum, Medicos, & Chirurcos. 3. Merces operariorum & famulitii domestici. 4. Qui ad reparandam, conservandam, ædificandam, emendam, domum &c. materialia, vel mutuas pecunias dederunt. 5. Uxor ratione dotis. 6. Pupilli, Minores, & aliæ causæ piæ. 7. Fiscus. 8. Creditores hypothecarii. 9. Chirographarii habentes confecta Instrumenta coram Notario, & testibus. 10. Qui solum personale privilegium habent, ut Chirographariis simplicibus præferantur. De quibus vide in fonte, & ibi Illustrissimum D. Schmidt.

JUS
CANONICUM
UNIVERSUM,
AUTHORE
R. P. F. ANACLETO
REIFFENSTUEL.

Tomi Tertii Pars Secunda.

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

I Ratio Ordinis.

1 Actum est in præcedentibus, de quibusdam contractibus onerosis, ex utraque parte obligationem inducentibus, videlicet de Emptione, Venditione, Locato, Conducto, Permutatione &c. agitur nunc de nonnullis contractibus gratuitis, inter quos principalis est Donatio. De qua sit

§. I.

De Natura ac divisione donationis: item de requisitis ad eam, & effectu ejusdem.

S U M M A R I U M.

- 2 Donationis Definitio.
- 3 Debet esse merè liberalis: hinc remuneratoria Donatio propriè talis non est.
- 4 Donatio alia est realis, alia verbalis.
- 5 Alia merè gratuita, alia remuneratoria: alia absoluta, alia conditionata.
- 6 Alia inter vivos, alia mortis causa.
- 7 Ad Donationis valorem requiritur consensus donantis signo externo monstratus.
- 8 Potest Donatio fieri absenti, & presenti: oratenus & in scriptis: tacitè & expressè.
- 9 Potest etiam ex conjecturis præsumi.
- 10 Requiritur etiam ex parte donatarii acceptatio.
- 11 Quæ fieri potest verbis & signis: imò si presenti & tacenti fiat Donatio, censetur acceptata.
- 12 Donatio Ecclesie, vel alteri pie cause facta, illicit obligat, etsi à Reçtore, vel Administratore cause pie nondum sit acceptata.
- 13 Probatur à pari de Donatione facta Reipublice.
- 14 Donatio quingentos solidos excedens insinuari debet apud Judicem. Insinuatio quid?
- 15 Solidus quid?
- 16 Donatio quingentos solidos excedens valet in pluribus casibus absque insinuatione. Veluti I. Si sit ad reparationem ædium incendio consumptarum. II. Si fiat ad causas pias.
- 17 Solvitur instantia ex Jure.
- 18 Tertio, si fiat à belli Duce militibus. Quarto valet Donatio, quam Princeps privato, aut privato Principi facit.
- 19 Quidò, si est remuneratoria, vel ob causam facta.
- 20 Donari potest omnis res in commercium humanarum veniens; etiam aliena: & quomodo?
- 21 Donare possunt omnes, qui rerum suarum administrationes habent, & Lege non prohibentur.
- 22 Prohibentur autem donare plures: & quidem primo omnes, qui administratione rerum suarum carent.
- 23 Secundo Tutores, & Curatores de rebus, quas administrant, donare non possunt.
- 24 Nisi remuneracionis causa: aut quæ de more & consuetudine donantur.
- 25 Tertio Pater donare non potest liberis nondum emancipatis.
- 26 Nisi ob causam, vel remuneracionis gratiã.
- 27 Mater vero tam emancipatis, quam non emancipatis validè donat.
- 28 Quarto Milites, & Clerici donare non possunt cubiculis.

Reiffentuel Jus Can. Tom. III.

- 29 Quidò prohibentur Donationes inter virum & mulierem. Remissivè.
- 30 Donatio etiam verbalis acceptata obligat, & parit actionem.
- 31 Si quis verbaliter tantum promissit, quòd promissum servans, alios creditores non amplius solveat, vel se sustentare possit: tenetur debita aliis creditoribus, & potest necessaria sibi ante traditionem rei donatæ, detrahere. Ob moram creditoris non tenetur ad usuras; & ante traditionem pertinent fructus rei donatæ ad ipsum.

Queritur I. Quid sit Donatio? Resp. Donatio, dicta à dono, quasi dono datum l. Senatus 35. §. 1. ff. de Mort. cau. donat. est rei licitæ (id est donari non prohibita) nullo Jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio, arg. l. Donari. 82. ff. de Reg. Jur. ibi: Donari videtur, quod nullo Jure cogente conceditur. Convenit cum dicta definitione etiam definitio, quam dat Doctor subtilis in 4. dist. 15. q. 2. §. Secundo potest, dicendo: Donatio est datio rei merè liberalis. Explicatur definitio. Dicitur rei licitæ; quia, ut bene notat Abbas ad Rub. h. rei licitæ Donatio, sicut & venditio nulla est. l. Quod sepè. 35. §. Veni mali. 2. ff. de Contrah. Empt. unde donans ad eam tradendam compelli non potest.

Dicitur nullo Jure cogente, videlicet nec naturali, nec humano: per quæ verba à Donatione propriè sumpta excluditur Donatio remuneratoria, quæ fit ex causa & debito gratitudinis ob præcedentia aliqua merita donatarii: licet enim ex hac nulla detur actio, aut jus exigendi nec in foro interno; nec externo; nihilo minus quia est Jure naturali aliquo modo debita, vera Donatio non est, utpote qualem quis propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat, Hæc propriè donatio appellatur. L. 1. prin. ff. h. r. Unde l. Aquilius. 27. ff. eod. à verâ Donatione excluditur illa, quam quis facit Magistro suo; cum remuneratio obsequii & officii, quam liberalis datio fit. Abbas ad cit. Rub. h. r. Bartolus in prologo ff. Clarus ff. Donatio. q. 3. nu. 1. Pirhing h. r. nu. 1. & communis aliorum.

Queritur II. Quotuplex sit Donatio? Resp. eam variè, & quidem primò dividi in realem, & verba-lem. Illa est, quæ quis rem alteri gratuito donat, & actu tradit. Quæ Donatio est propriè talis, cui definitio num. 1. data convenit. Donatio verbalis est nuda promissio, seu conventio de dando, quæ quidem res alteri per verba de presenti actu donatur; sed actu non traditur, utpote forsitan absens, vel donanti ad tempus adhuc necessaria &c. Et hæc Donatio est imperfecta, ac improprie talis, cum ei definitio ex Jure L. 82. ff. de Reg. Jur. & l. Donari. 29. ff. h. r. de sumpta non conveniat; non enim est datio, sed collatio, prout citata Jura requirunt.

Secundo dividitur in merè gratuitam, ac remuneratoriam. Illa est, quæ ex mera liberalitate absque ulla justitiæ, vel gratitudinis obligatione exercetur: & hæc propriè Donatio est, quam supra definivimus. Remuneratoria verò est, quæ fit ex titulo gratitudinis ob præcedentia merita debita. Quæ Donatio juxta dicta num. 3. est impropria. Tertio dividitur

L 1 2 in

- sub potestate constitutis liberis validè donat. Molina *Disp. 291. n. 4. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 12. n. 12. Lefsius lib. 2. cap. 18. n. 90. Gomez var. Resol. lib. 2. cap. 4. Engel h. t. n. 14. Ratio est: tum quia & in hac quoque ratio prohibitionis cessat: cum liberis in sua potestate non habeant §. *Fœmina. 10. Instit. de Adopt.* Tum quia eidem donare prohibitum non est, arg. l. *Sed si ego. 4. ff. ad S. C. Vellei.* Ratio ibidem additur; quia tam facilliter non donant, vel certè ordinario defectu administrationis multum donare non possunt. Nec obstat l. *Hæc ratio. 3. §. 4. ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi etiam matris Donatio invalida declaratur illis verbis: *Si mater filio, qui in patris potestate esset, donet, nullius momenti erit Donatio; quia patri quaeritur.* Resp. enim cum communi DD. in dicta Lege idèd præcisè matri prohibitum esse donare, ne donando liberis eluderet Legem prohibentem Donationes inter virum & mulierem; cum tempore illius Legis conditæ, distinctio peculi advenitū introducta nondum esset, sed quidquid, exceptis castrensis, ad liberis pervenerat, ad patrem de jure pertinebat, §. *I. Instit. Per quas personas cuique acquiritur.* consequenter etiam donatum à matre liberis, illic ad dominium patris devolveretur; prout ipsa Lex apponendo rationem clarè indicat: *quia patri quaeritur; sique mater donando liberis, donare marito, & inde Legem de prohibita inter virum & mulierem Donatione, prohibitu eludere possit.* Jam verò, quia novissimè Justiniani Imperatoris dispositione cit. §. *I. Instit. per quas personas,* antiquo Jure sublato habemus, quòd solummodò donata liberis à patre, ad patrem, reliqua verò aliunde acquisita ad liberis spectent, cessat Legis ratio; consequenter & Lex ipsa.*
- 28 IV. Milites donare non possunt focariis, seu concubinis suis l. 2. c. de Donat. inter vir. & uxor. ubi etiam ratio additur; quia licet Donatio meretrici ab aliis etiam ob rem turpem facta valeat, textu claro l. *Affectio. 5. §. 1. Instit. de Concubinam. 31. prin. ff. h. t. Milites tamen meos (ait Imperator) à focariis suis hac ratione, scilicet adulationibus spoliari nolo. Et quia Clerici ordinariè gaudent privilegio militum; cum ipsi quoque militare dicantur, ac blanditiis feminarum deperari valeant; hinc dispositionem cit. l. 2. c. de Donat. inter vir. & uxor. etiam ad Clericos merito extendit Rota Decis. 45. n. 6. coram Seraph. teste König. h. t. num. 10. citans Cæsar. de Pannimoll. Decis. 59. num. 28. & Covarruviam in c. Peccatum. de R. J. in 6. p. 2. §. 2. n. 2. qui ultimus tamen de hac re nihil resolvit.*
- 29 V. Prohibetur Donatio inter virum & mulierem, de qua amplius Lib. 4. Tit. 20. De Donatione inter virum & uxorem.
- 30 Queritur VII. Quis sit effectus Donationis? Resp. I. Donationis verbis, quæ abique actuali traditione rei donatæ sit, effectus est obligatio tradendi rem donatam, si Donatio à Donatario fuit acceptata. Communis ac certa textu claro §. *Aliæ autem. 2. Instit. h. t. ibi: Donationes &c. etiam si (res donatæ) non tradantur, habeant plenissimum & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori. & l. Si quis argentum. 35. c. h. t. ubi etiam conceditur donatorio actio (quæ conditio ex Lege ibidem dicitur) contra donatorem ad tradendam rem verbaliter donatam.*
- 31 Verum, si actio ad tradendam rem donatam convenitur donator, debet prius debita aliis creditoribus, & potest necessaria propriæ sustentationi deducere, casu quo solvendo totum promissum, alios creditores non amplius solvere, vel se honestè sustentare amplius non possit. l. *Qui ex Donatione. 12. ff. h. t. ibi: Qui ex Donatione se obligavit, ex rescripto Divi Pii, in quantum facere potest, convenitur: sed enim id, quod creditoribus debetur, erit detrahendum.* Concordat l. *Quid id. 33. prin. ff. eod. ibi: Actione non in solidum, sed*

in quantum facere potest, convenitur. Quod si in mora tradendi est, non tenetur fructus ex re donata interea perceptos, donatorio restituere. l. *In ædibus. 9. §. 1. ff. h. t. ibi: Ex rebus donatis fructus perceptus in rationem donationis non computatur.* Idem habetur l. *Cum de modo. 11. ff. eod. Ratio est; quia ante traditionem donatarius nondum est dominus rei donatæ; cum traditionibus, non nudis pactis dominia rerum transferantur. l. Traditionibus. 20. c. de pactis. Res autem domino suo fructificat. Neque tenetur ob dilatam traditionem usuras solvere, l. *Eum qui. 22. ff. eod. ibi: Eum, qui Donationis causâ pecuniam, vel quid aliud promissit, de mora solutionis pecunie usuras non debere, Summa æquitatis est.* Ratio ulterior est, ne donatori sua liberalitas nimis sit damnosa.*

§. II.

De Donationibus Episcoporum, Prælatorum, ac Rectorum Ecclesiarum, Clericorum, Religiosorum: ubi etiam de Revocatione Donationis.

SUMMARIUM.

- 32 Donationes magnas Ecclesiarum Rectores de rebus Ecclesie non possunt facere.
- 33 Quòd, si faciunt, revocari possunt ac debent: à quibus?
- 34 Modicas tamen Donationes de bonis Ecclesie ritè faciunt ibi; ubi ita donandi est consuetudo.
- 35 Imò etiam ibi, ubi non est consuetudo.
- 36 Dummodò per plus iustò repetitis modicas Donationes graviter non lædant Ecclesiam.
- 37 Nullâ consuetudine introducti potest, quòd Prælati de rebus Ecclesie Donationes magnas faciant.
- 38 Quia talis consuetudo esset contra Jus Divinum & Naturale.
- 39 Doctrina præctica pro Prælati multa donantibus.
- 40 Donationes remuneratorias etiam magnas facere possunt Ecclesiarum Rectores.
- 41 Dummodò non multum excedant merita & obsequia donatarii.
- 42 Tam Prælati donans, quàm donatarius probare debent, donationes magnas fieri, vel factas esse remuneracionis gratia; casu quo dubium emergat.
- 43 Debet insuper Prælati Ecclesie solemnitate Juris adhibere, si bona immobilia, vel mobilia pretiosa remuneratoriè donet.
- 44 Potest Ecclesie Prælati cum consensu Capituli, donationes magnas etiam immobilium facere, ut donarium excitet ad beneficiendum, vel avertat à damno majori inferendo Ecclesie.
- 45 Causâ pietatis & misericordie donare proportionaliter possunt Ecclesie Prælati etiam magna.
- 46 De Redditiis ad propriam mensam pro honesta sustentatione deputatis indistinctè donare possunt.
- 47 Religiosi extra Monasterium Beneficium cum libera administratione habentes, donare possunt, ut cæteri Beneficiarij seculares.
- 48 Habentes verò administrationem intra Monasterium; vel extra illud, Beneficium cum limitata potestate, non nisi juxta præscriptum Superioris, statutorum, & consuetudinis donare valent.
- 49 Religiosi in Monasterio sine Beneficio, & administrationis Officio degentes, penitus nihil, nec pauperibus quidem, nisi in extrema necessitate donare possunt.
- 50 Donatio semel legitime facta revocari amplius non potest.

51 Limitatur

§. II. De Donationibus Episcoporum, Prælatorum, &c. 403

- 51 Limitatur in tribus casibus.
- 52 Primò, si donatarius erga donantem ingratus est.
- 53 Veluti si ei verbis, vel facto injuriam atrocem inferat.
- 54 Vel violentas manus per se, vel per alium ei inferat.
- 55 Aut grave damnum in rebus fortunæ inferat.
- 56 Item, si eum in vitæ periculum conjiciat, etsi mors non sequatur.
- 57 Rursus, si conditiones in Donatione appositæ, donatarius non adimpleat.
- 58 Putant aliqui etiam ob alias (præter recensitas) ingratiudinis causas revocari posse Donationem.
- 59 Contraria tamen sententia est probabilior.
- 60 Lex penalitè ob paritatem rationis non est extendenda ad casus in Jure non expressos.
- 61 Aequitas ratio potius debet attendi, quàm stricti Juris. Ibid.
- 62 Donator probare debet ingratiudinem, si ob illam revocare velit donatum.
- 63 Potestas revocandi Donationem non competit hæredibus, nec contra hæredem.
- 64 Probatu rationibus Juris.
- 65 Si donator ingratiudinem donatarii ignoravit, vel agere contra eum impeditus fuit, possunt hæredes ejus revocare Donationem.
- 66 In pluribus casibus Donatio revocari nequit ob ingratiudinem, veluti Primò, si sit causis piis.
- 67 Secundò, si est remuneratoria, vel sit ob causam.
- 68 Tertio, si sit ratione dotis.
- 69 Quarto, si jam est in tertium bonâ fide, alienata.
- 69 Secunda principalis causa revocandi Donationem est, si donatori liberis carenti postea nascantur liberi.
- 70 Si notabilis, non item si modica tantum quantitas donata est.
- 71 Donatio facta Ecclesie, tantum usque ad legitimam revocatur, ob liberos postea natos.
- 72 Solvitur instantia ex Jure.
- 73 Donatio remuneratoria non revocatur ob liberos postea natos.
- 74 Tertia causa principalis revocandi Donationem est, si sit inefficax.
- 32 Queritur I. An, & quid Episcopi, aliique Prælati, ac Ecclesiarum Rectores Donare possint de Redditiis, & proventibus, vel aliis bonis ac rebus Ecclesie; Monasterii &c. Resp. I. Donationes magnas, seu in magna quantitate, Episcopi vel Ecclesiarum Prælati, sive seculares, sive Regulares ex mera liberalitate facere de redditibus, & bonis Ecclesie non possunt. Communis ac certa, textu claro c. 2. h. t. ubi etiam ratio additur, videlicet, quòd cum Episcopus & quilibet Prælati Ecclesiasticorum rerum sit procurator (seu administrator) & non dominus, conditionem Ecclesie meliorare potest, facere verò deteriore non debet.
- 33 Resp. II. Donationes præced. num. specificatæ, si ab Ecclesiis Prælati sunt, revocari possunt ac debent, non tantum per Successorem, sed etiam per ipsum Prælatum ita donantem: Imò in defectu horum quilibet alius Clericus agere potest ad restitutionem bonorum Ecclesiasticorum præfato modo donatorum. Tota Conclusio constat ex iis, quæ diximus supra Tit. 13. de Rebus Eccles. non alien. à num. 59. ubi similem conclusionem posuimus in casu, quo contra Jura sit mala & invalida alienatio rerum Ecclesiasticarum; qualis cum etiam sit Donatio textu expresso c. Nulli. 5. de Reb. Eccles. alien. idem de ea dicendum est.
- 34 Resp. III. Donationes modicas, seu in parva quantitate etiam merè liberales, præfati Prælati validè ac licitè facere possunt, ubi est loci consuetudo. Abbas

in c. 3. h. t. num. 3. Pirhing h. t. n. 13. Barbosa in c. 2. h. t. nu. 2. Bell. *Disqui. Cleric. 55. num. 10. Engel h. t. nu. 12.* cum communi & certa aliorum, & textum clarum c. 3. h. t. ibi: *Datæ rei quantitas, & illius terre consuetudo (quæ tamen SS. Canonibus non obviat) est diligentius attendenda, & secundum hoc est donum ratum, vel irritum judicandum.* Ratio est; quia ubi est consuetudo, non possunt hujusmodi Donationes moderatè abique querela & suspitione avaritiæ omitti; consequenter merito à Jure conceduntur. Quænam autem sit parva & modica quantitas, cum in Jure definitum non sit, id Judicis, aut viri prudentis arbitrio decidendum relinquitur, prout ex communi Doctorem, & declaratione Cardinalium à Pagnano in c. Nulli. num. 26. de Reb. Eccles. alien. allegata supra jam diximus Tit. 13. de Reb. Eccles. alien. n. 28.

35 Resp. IV. Possunt Ecclesiarum Prælati modica donare etiam ibi, ubi modica donandi non est consuetudo. Glossa lo. cit. Imola in c. 3. h. t. in fin. Pirhing h. t. n. 14. arg. c. 2. h. t. ubi solum prohibentur Donationes graves & magni momenti: ergò à sensu contrario non graves conceduntur. Accedit ratio: tum quia hoc pertinet ad liberam administrationem, quam de Jure habent Prælati c. *Cum nobis 19. in fin. de Election. ibi: Liberam administrationem ei tam in temporalibus, quàm in spiritualibus committimus. & c. Is cui. 42. eod. in 6. ibi: Plena & libera administratio.* Tum quia per hujusmodi modicas Donationes evitatur avaritiæ suspicio, conservatur bona æstimatio & benevolentia hominum, indeque procuratur etiam Ecclesie utilitas. Nec obstat, quòd Prælati non sint domini, sed tantum administratores; quia etiam seculares administratores & curatores domini non sunt, & tamen modica donare possunt juxta dicta superius.

Colliges, quòd dum de factò modica donandi videtur introducta & recepta consuetudo, ac etiam abique hæc Prælati donare liceat modica, Ecclesiarum Prælati in modicis donandis sine scrupulo esse possunt. Dummodò non etiam per minutas, plùs iusto repetitis modicas Donationes Ecclesiam graviter lædant, uti bene observat Glossa in c. 2. h. t. §. *Graves. arg. l. Si libertus 16. §. 1. ff. de Jur. Patron.*

37 Resp. V. Nullâ consuetudine introducti potest, quòd Episcopi, vel alii Prælati bona Ecclesie immobilia, vel mobilia pretiosa, aut alias in magna quantitate, seu magni momenti suis consanguineis, vel ad aliam causam profanam donate valeant. Abbas in c. 3. h. t. num. 3. cum aliis, arg. cit. c. 3. h. t. ubi illa tantum consuetudo donandi de bonis Ecclesie approbatur, quæ SS. Canonibus non obstat; atque consuetudo donandi in magna quantitate obstat SS. Canonibus; cum sit contra bonum Ecclesiarum, ac in grave detrimentum eorum: consuetudo autem bono communi adversans, utpote irrationabilis obstat SS. Canonibus, ab eisque reprobatu; prout amplius diximus Lib. 1. Tit. 4. à numero 34. de Consuetudine.

Accedit, quòd hæc consuetudo sit etiam contra Jus Divinum ac naturale, utpote injustitiam continens ac fovens; semper enim injustum est domino rationabiliter invito auferre aliena, & alteri donare, etsi id faciendi consuetudo immemorialis adesset arg. c. *fin. h. t.* Atqui in casu nostro Prælati auferent aliena dominio rationabiliter invito: ergo. Unde sicut juxta unanimem DD. nullâ consuetudine introducti potest, quòd quis licitè, aut validè furetur; etsi furto ablatum alteri donet; ita etiam nullâ consuetudine introducti potest, quòd Prælati de bonis Ecclesiarum in magna quantitate Donationes ad causas profanas faciant, utpote aliena domino rationabiliter invito auferentes, adeoque etiam verum furtum, ac injustitiam committentes.

39 Colliges, pessime facere, peccatissime gravissimis conscientia suas cum magno aeternae perditionis periculo gravare illos Episcopos, & Ecclesiarum Praelatos, qui de redditibus, & bonis Ecclesiarum in sanguineos suos, vel alios, graves Donationes, seu in magna & notabili quantitate, absque legitima & iure approbata causa faciunt, non obitante, quod in multis locis, & etiam, ubi ipsimet degunt, ita donandi sit consuetudo; utpote quae verissima est corruptela.

40 Resp. VI. Possunt Episcopi, & Ecclesiarum Praelati Donationes remuneratorias etiam magnas, seu gravis momenti facere ob merita a donatis in Ecclesiam, vel ipsum Praelatum collata. Abbas in c. 2. n. 3. h. t. & in c. 5. num. 6. eod. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 12. n. 9. Pirhing h. t. n. 10. Barbosa in c. 5. h. t. n. 2. Menochius Confil. 191. n. 32. Engel h. t. n. 12. & communis arg. c. 5. h. t. ubi remuneratorias causas, ut licita & valida approbatur infundatio, licet aliis infundatio sicut Donatio sit prohibita, Extravag. Ambrosiana de reb. Eccles. non alien. inter communes c. 2. de Feudis. Ratio est; quia uti ex dictis supra nu. 3. constat, dato remuneratoria, non est proprie Donatio; cum non sit merè liberalis, sed ex titulo gratitudinis debita. Accedit, quod Tutores non tam ampla & perpetua administratione gaudentes ac Praelati, de bonis pupilli Donationes remuneratorias etiam in notabili quantitate facere valeant. l. Cum plures. l. 2. §. 3. & l. seq. ff. de Administrat. tutor. consequenter à minoribus etiam Ecclesiarum Praelati.

41 Debent tamen Donationes remuneratorie esse proportionatae meritis & obsequiis praestitis; secus enim, in quantum donum excedit merita, Donatio illicita erit ac invalida. Clarus §. Donatio nu. 3. citans communem. Layman lo. cit. Pirhing h. t. Intellege, si notabiliter excedat; modicum enim Praelatus etiam sine causa donare potest, juxta dicta num. 35.

42 Porro in casu, quo Donationes remuneratorias magnas facit Praelatus, non sufficit dicere, se remuneraciones causa id facere, vel fecisse; sed debet Conventui forsan dubitanti, ac inde iuste interroganti, merita specificare ac probare. Clarus lo. cit. nu. 2. cum communissima aliorum. Ratio est; quia alias Lex prohibens semper eludi à Praelatis potest, dicendo, se remuneraciones gratia donare, vel donasse. Hinc etiam ipse Donatarius merita probare debet, si remuneraciones gratia graves Donationes eum accepisse dignoscitur, alias Donatio revocari potest.

43 Infuper, si Praelatus Donationes remuneratorias magnas de bonis immobilibus seu mobilibus pretiosis vult facere, debet necessario etiam adhibere consensum Capituli. Ratio est; quia ad ista alienanda non sufficit iusta causa, sed duo copulative necessario requiruntur, videlicet iusta causa, & simul consensus Capituli; ita ut uno eorum deficiente actus sit invalidus; prout amplius diximus supra Tit. 13. de Rebus Eccles. alien.

44 Resp. VII. Potest Praelatus etiam sine praecedentibus meritis Donationes non tantum modicas, sed & graves de rebus quoque immobilibus (cum consensu Capituli) facere ad hoc, ut Donatarium, cuius opera, auxilio, gratia, vel beneficentia Ecclesia indiget, excitet ad beneficiandum, vel succurrendum, vel etiam ut dampnum ac detrimentum ab eo injuste inferendum avertat. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 26. n. 14. Pirhing h. t. n. 10. Ratio manifesta est; quia ita donando procurat utilitatem Ecclesiae: ob Ecclesiae autem utilitatem bona ejusdem etiam gravis momenti alienare licet arg. can. Sine exceptione 52. caus. 12. q. 2. & amplius diximus supra Tit. 13. de Rebus Eccles. alien. §. 2. num. 19. & 20. Manet tamen rectè lo. cit. Pirhing, ut in simili Donatione semper habeatur respectus ad utilitatem Ecclesiae, & aedificationem pro-

ximorum, ne scandalum, vel sinistra opinio generetur.

Resp. VIII. Praelati Ecclesiastici causa pietatis ac misericordiae possunt de redditibus & bonis Ecclesiae Donationes proportionatas consideratis Ecclesiae facultatibus, aliisque circumstantiis in causas pias, & pauperes etiam absque ullo Capituli consensu facere. Omnes. Ratio est; quia hae Donationes non tam ex liberalitate, quam obligatione, & quidem gravissima sunt, uti magis dicemus, & probabimus Tit. seq. ubi etiam amplius declarabimus, quantum in causis piis, & pauperes praesertim consanguineos erogare valeant.

Notandum hic specialiter, quod Conclusiones hucusque posita intelligendae sint de proventibus, redditibus, & bonis ipsarum Ecclesiarum, seu ad eas pertinentibus; quia quod donare indistinctè possunt de redditibus illis, qui separati ab Ecclesiae bonis, ad ipsorum mensam, acque honestam eorum sustentationem (exceptis superfluis) particulariter sunt deputati (prout in aliquibus locis dantur) est extra controversiam: uti pariter patebit ex Tit. seq.

Quaeritur IX. An, & quid donare possint Religiosi privati? Resp. I. Religiosi privati, qui extra Monasterium degentes Beneficium, ejusdemque de licentia Superiorum liberam administrationem habent, possunt, ac tenentur de redditibus Beneficii disponere, Donationisque de illis facere, uti alii Beneficiarii saeculares. Pirhing h. t. n. 16. Molina Disp. 276. d. n. 2. & alii. Ratio est; quia inter Religiosos in Conclusionem postpositos, & Beneficiatos Clericos saeculares in ordine ad dispositionem reddituum nulla adeffe videtur disparitas; consequenter eadem utriusque potestas, ac obligatio; cum de similibus idem sit Judicium, c. Translatio 3. de Constit. c. Intra corporalia de Translat. Episc. & l. Non possunt. ff. de Leg.

Resp. II. Religiosi, qui intra Monasterium degentes, aliquam bonorum temporalium administrationem sibi commissam habent: item illi, qui extra Monasterium degentes, Beneficium quidem sed cum limitata administratione habent, ita ut redditus Monasterio consignare debeant (uti perlungue fit in Beneficiis Monasterio incorporatis) possunt quidem secundum limites, & conditionem administrationis, Eleemolynas, & alias Donationes modicas facere, sed tamen non nisi dependentur ab ordinatione per Superiorem sibi data, de ejusdemque expressa, vel rationabiliter praesumpta licentia, atque juxta Ordinis statuta, locique consuetudinem. D. Thomas 2. 2. q. 32. a. 8. Roderiq. Tom. 2. q. 4. Regul. q. 57. a. 2. Molina lo. cit. n. 5. Pirhing h. t. n. 16. Sanch. lib. 7. Moral. cap. 19. n. 92. Ratio est; quia hoc ipso, quod ex una parte, ipsa administrationis natura & officium aliqualem saltem donandi potestatem exigit; ex altera vero parte Religiosus à Superiorum dispositione, Ordinisque regulis & statutis dependet, tenor Conclusionis subsistit.

Resp. III. Religiosi caeteri in Monasterio sub obedientia Superiorum viventes, & nec Beneficium, nec administrationem aliquam habentes, sine expressa vel tacita Superiorum suorum licentia penitus nihil, nec pauperibus quidem donare possunt; nisi pauper existat in extrema necessitate, cui Monasterium, vel alii non succurrunt. D. Thomas 2. 2. a. 8. ad 1. Layman lo. cit. Molina lo. cit. n. 5. Sanch. lo. cit. nu. 95. Pirhing h. t. num. 16. & teste Molinà, & alii omnes. arg. c. Cum ad Monasterium. 6. de Statu Monach. & can. Non dicatis. 11. cau. 12. q. 1. Ratio est; quia hoc ipso, quod tales Religiosi defectu officii nullam administrationem, & ratione paupertatis nullum dominium, sed solum rerum usum habeant, nullam quoque disponendi de rebus Monasterii potestatem habent: ut proin toties contra paupertatem peccent, quoties

quoties absque tacita vel expressa Superioris licentia aliquid etiam pauperibus donent: uti bene notant citati DD. & statuitur in Bulla Clementis VIII. Religiose Congregationis. & Urbani VIII. in Bulla Nuper à Congregatione, quas per extensum refert Hyacinthus Donatus Tract. 15. de Largitione munerum: quamvis plures Doctores apud eundem velint, praefatas Bullas usum non esse receptas.

60 Quaeritur X. An, quando, per quem, & à quo Donatio iterum revocari possit? Resp. I. Regulariter loquendo Donatio inter vivos legitime facta & acceptata revocari per Donatorem non amplius potest. Communis ac certa. Textus expressus est in l. fin. C. de Revocand. Donat. ibi: Generaliter sancimus, omnes Donationes Lege consecras, firmas illibatasque manere, adeo quidem, ut nec per rescriptum Principis revocari valeant. l. Si Donationem. 5. C. eod. ibi: Si ritè fecerit; hanc auctoritate rescripti nostri rescindi non oportet. Ratio est; quia Jura suo iuribus nemo privari potest; ne quidem auctoritate Principis supremi, nisi ob bonum commune, seu utilitatem publicam, cui privata cedere haud dubie debet; uti videmus in Praescriptione.

51 Dicitur autem notanter, regulariter loquendo; quia dantur tres causae principales, ob quas Donatio revocari potest: videlicet, I. Ob ingratitudinem Donatarii. II. Ob prolem suscepiam. III. Si Donatio est inofficiosa, uti ex sequentibus Conclusionibus magis patebit.

52 Resp. II. Donatio revocari potest ob ingratitudinem Donatarii. Caret controversia, ob clara Jura c. fin. h. t. ibi: Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore Juris eam potest revocare. & l. 1. C. de Revocand. Donat. ibi: Si ingratus sit, omnis Donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est Concordat l. His solis. 7. l. fin. C. eod. ubi etiam enumerantur ac specificantur casus, in quibus ingratitudo praebens facultatem revocandi, committi censetur.

53 Veluti Primò, Si Donatarius in Donatorem injurias atroces effundat. cit. l. fin. & c. fin. ibi: Si injurias atroces inferre praesumpserit. Quenam autem sit injuria atrox, merito Judicis arbitrio relinquatur; qui eam aestimare debet ex factis, vel loco, veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu praetoris facta sit: vel ex persona, veluti si Magistratus injuriam passus fuerit, vel si Senatori ab humili persona injuria facta sit. §. Atrox. 9. Instit. de Injur. Porro potest fieri injuria vel verbis, v. g. verbis graviter contumeliosis, ac injuriosis eum afficiendo: vel facto (absque tamen manuum injectione, quia haec ad secundum sequenti specificandum causam pertinet) v. g. Si Donatorem captivum tenent, Abbas in c. fin. h. t. arg. c. Nuper. 29. de Sentent. excomm. Molina Disp. 281. n. vel si adulterium cum uxore, aut stuprum cum filia committeret. Pirhing h. t. n. 34.

54 Secundò ingratitudinem committit, si Donatarius manus impias ac violentas inferat c. l. fin. & c. fin. h. t. ibi: Si forte in ipsum impias manus injecerit. Censetur autem impias manus injicere, vel inferre non tantum, si manibus propriis eum invadat, graviter percutiat, fuste verberet, gladio vulneret, sed etiam, si lapidem in eum projiciat, fellepitem emittat &c. Molina lo. cit. & patet per ea, quae Jura tradunt de percussione Clerici. Nec refert, si ve per se, si ve per alium id praestet: Nam non solum injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, hoc est, qui percussit; verum ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel qui curavit, ut cui mala pugno percuteretur, ubi dicitur l. Non solum II. prin. ff. de Injur. Debet tamen percussio, seu impia manuum injectio esse injusta, similitque talis, quae constituat culpam mortalem: alias enim hoc ipso non esset injuria, vel non

graviter injuriola. Hinc bene inferi Molina lo. cit. si quis pro Patria, vel propria, vel proximi justè defensione Donatori manus injiciat, ingratum dici non possit. Ratio est; quia vim vim repellere omnia Jura permittunt. Pariter ingratitudinis reus non erit, si ex ignorantia, vel casu id facia; quia animus injuriandi deest, quo absente injuria non fit. l. 3. §. 1. ff. de Injur.

Tertiò, si Donatori grave rerum suarum damnum inferre praesumpserit. c. fin. h. t. vel ut dicitur, l. fin. C. de Revocand. Donat. Si factura molem ex insidiis suis ingerat, quae non leve sensum substantiae Donatoris imponat. Quid autem sit grave damnum, Judicis arbitrio determinari debet. Abbas in c. fin. h. t. n. 2. Molina lo. cit. nu. 2. Pirhing h. t. nu. 34. Attentis circumstantiis, praesertim facultatibus Donatoris, ratione quarum id, quod in uno modicum, in alio grave damnum est. Non sufficit autem, si Donatoris solium attentet inferre damnum, sed requiritur, ut actu inferat. Ratio est; quia Lex concedens revocationem, praenalis est, cujus verba sumi debent cum effectu. arg. can. Haec autem verba. 17. de Penit. dist. 1. ibi: Haec autem verba cum effectu accipiunt. & l. 1. ff. Quod quisque Juris, ibi: Quid enim obsuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum.

Quartò, si vitæ periculum aliquod intulerit. l. fin. §. C. de Revocand. Donat. & c. fin. h. t. ibi: Si vitæ periculum inferre praesumpserit; veluti si venenum praepararet, si ve per se, si ve alium faciat, cit. l. Non solum. 11. prin. ff. de Injur. etiam mors non lequatur. Abbas in c. fin. n. 2. Molina lo. cit. quia Jura in hoc puncto ob solam attentionem seu positionem periculi, etiam effectu non subsecuto, revocationem expressè concedunt; & merito, quia morte secuta, revocatio fieri non amplius potest: non à mortuo, uti patet: nec ab haereditibus, utpote quibus revocatio non competit, juxta dicenda num. 62. nec à Judice, eò quod revocatio non nisi ad instantiam fiat, uti infra dicemus.

Lex fin. C. de Revocand. Donat. etiam quintum e a 57 sum addit, si nempe quasdam conventiones, si ve in scriptis Donationi impositas, si ve sine scriptis habitas quas Donationis acceptor spopondit, minime implere voluerit. Qui casus c. fin. h. t. non ponitur; quia, uti bene advertit Abbas lo. cit. in hoc casu non tam propter ingratitudinem, quam non servatam conditionem revocatio conceditur.

Controversia est inter DD. an praeter allegatas quinquae, etiam ob alias aequales, vel majores ingratitudinis causas revocari possit Donatio? Clarus liquidum §. Donatio. q. 21. nu. 2. & 3. citans communem, Abbas in c. fin. h. t. nu. 3. Sylvester §. Donatio. q. 13. & multi alii affirmativam tenent, docentque teneri. v. g. donatarium alere Donatorem inopiam prellum, & si non alat, Donatio revocari possit, saltem in casu, quo Donatarius donum in magna quantitate accepit, uti lo. cit. notat Abbas; & Clarus addens, attendendas esse etiam praesentes facultates, ac commodè possit. Fundamentum eorum est: tum quia, ubi est eadem ratio, eadem est Legis dispositio. arg. l. Illud 32. ff. ad l. Aquil. tum quia Donationem accipiens, in magna quantitate, filio comparari potest, ut notat Abbas lo. cit. filius autem tenetur alere parentem l. Si quis. 5. ff. De lib. agnosc. & alend. quae sententia licet aequitati naturali sit multum conformis,

Nihilominus contraria sententia, negativa nempe Juri conformior, adeoque in praxi amplectenda est: eamque tenent Molina Disp. 181. num. 8. Engel h. t. n. 19. Layman lo. cit. nu. 17. Zoëlius in Comment. Jur. can. h. nu. 12. König eod. nu. 30. & alii. Probatur ex l. fin. C. de Revocand. Donat. ubi verbis expressis ita statuitur: Ex his quantummodò N. B. (quae enumeratis) causis, si fuerint in iudicium dilucidis argumentis cognoscantur

ionaliter approbatæ, etiam Donationes in eos factas evertit concedimus: ergo ad alias causas contra expressum Juris textum non est extendenda revocandi licentia.

60 Confirmitur: Lex poenalis, qualis est concedens facultatem revocandi Donationes, non debet, nec potest extendi ad casus in Jure non expressos, etiam ob paritatem vel majoritatem rationis, ut habet communis, arg. L. 42. ff. de Penis, junctâ Leg. 15. & 49. de Reg. Jur. in 6. Ex quo argumento corrumpitur fundamentum Adversariorum à paritate rationis desumptum. Nec subsistit Ratio Abbatis Donatarium cum filio comparantem; quia in Jure non fundatur. Pari- ter non obstat, quod sententia Adversariorum æquitati naturali sit multum conformis; quamvis enim in omnibus rebus præcipuum esse æquitas quam stricti Juris rationem velit Jura l. Placuit. C. de Judicis. & l. In omnibus. ff. de Regulis; tamen quia hæc juris dispositiones solum de æquitate Juris scripta sunt intelligendæ, juxta dicta Lib. I. Tit. 2. n. 416. & Rigor Juris (scriptis præteratur æquitas non scriptæ, ipso etiam tenente Abbate lo. cit. expressè scripta Juris dispositio l. fin. C. de Revocand. Donat. omnino attendi debet: quod videlicet Donatio ob solos quinque specificatos ingratitudinis casus revocari valeat.

61 Resp. III. Ad hoc, ut Donator cum effectu revocare valeat Donationem ob ingratitudinem Donatarii, debet prius ingratitudinem commissam actione inlituata legitime probare, & Judicis expectare sententiam, antequam ingratus Donatarius donatum restituere non tenetur, textu claro l. fin. C. de Revocand. Donat. ibi: Ex his (ingratitudinis) causis, si fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ. Molina lo. cit. n. 5. Pirhing h. t. n. 36. & alii.

62 Resp. IV. Potestas revocandi Donationem ob ingratitudinem competi soli Donatori, non item hæredibus ejus; & quidem contra solum Donatarium, non verbò contra hæredes illius. Abbas in c. fin. h. t. n. 4. Molina lo. cit. n. 3. Barbosa in c. fin. h. t. n. 3. Engel h. t. n. 20. Pirhing eod. nu. 38. & communis aliorum. Prior pars clarè patet ex c. fin. h. t. ibi: Quod tamen ad Donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores, & l. fin. C. de Revocand. Donat. ubi etiam secunda pars probari videtur, illis verbis: Hoc tamen usque ad primas personas tantummodo stare censemus, nulla licentia concedenda Donatoris successoribus &c. etenim si ipse qui hoc passus est (ingratitudinem nempe) tacuerit, silentium ejus maneat semper, & non à posteritate ejus suscitari concedatur, vel adversus eum qui ingratus esse dicitur, vel adversus ejus successores. Concordat, atque utramque partem probat l. His jolis. 7. C. de revocand. donat. ibi: Nec in hæredem datur, nec tribuatur heredi.

63 Ratio Conclusiois est, quia actio hæc confurgit ex delicto & injuria Donatarii; atque injuriarum actio neque hæredi, neque in hæredem datur. l. Injuriarum. 13. prin. ff. de Injuriis. & peccata tenent suos Autores. l. Sanchezus. 22. C. de Penis. Hinc si Donator, quamdiu vixit, tacuit, nullamque ob Donatarii ingratitudinem movit actionem, hæredes ejus nihil amplius movere possunt; semel autem lite contestata, hæc actio nempe etiam ad successores pertinere, verbis expressis habetur cit. l. Injuriarum. 13. prin. ff. de Injuriis. in quo casu eadem actio etiam contra hæredes Donatarii datur. l. un. C. Ex delicti. defuncti. ibi: Post litem contestationem &c. successores in solidum, alioquin in quantum ad eos pervenit, conveniri, absolutissimi Juris est: ratio additur; ne alieno scelere dantur.

64 Imò competit hæredi Donatoris actio contra Donatarium, & hæredes ejus, etiam si Donator absque lite contestata decesserit, casu quo ingratitudinem ignoravit Donator, vel ad agendum tempus non habuit, vel impeditus fuit &c. Abbas lo. cit. numer. 7. Joan. Andreas ibid. Sylvester §. Donatio. I. q. 14. Pirhing

h. t. n. 38. Engel eod. n. 20. & alii: argumento à contrario desumpto ex c. fin. h. t. & l. fin. C. de Revocand. Donat. in quo utroque loco dicitur, si Donator tacuit, non competere actionem hæredibus: ergo si non tacuit, competit: non dicitur autem facere aliquid ille, qui id ignorat, aut loquendi seu agendi non habet tempus, vel aliunde impeditur, c. fin. de Dilat. & c. Cum in veteri. 52. de Electione.

Resp. V. Dantur casus in quibus nec Donator, nec hæredes ejus Donationem ob ingratitudinem Donatarii revocare possunt. Probatur inductione. Primò enim Donatio facta Ecclesie, Monasterio, vel aliis piis locis, revocari nequit propter ingratitudinem Prælati, vel Capituli, vel utriusque simul, vel Administratores. Barbosa in c. fin. h. t. num. 15. Clarus §. Donatio. q. 2. n. 5. citans communem. Pirhing. h. t. n. 37. Azorius lib. 11. cap. 8. q. 5. & alii contra Abbatem in c. Verum q. n. 3. de Condit. apposit. ubi docet tunc saltem revocari posse, si Prælati & Capitulum simul sint ingrati. Ratio autem nostræ conclusionis est; quia quod Ecclesie, causisq; piis donatur, censetur principiter donatum Deo, ut proin non Prælati, vel Capitulum, nec ambo simul, licet Ecclesiam representent, sed ipse Deus sit donatarius, qui nunquam ingratum est.

Secundò, Donatio remuneratoria, vel ob causam facta revocari ob ingratitudinem Donatarii non potest. Abbas in c. fin. h. t. n. 11. Clarus lo. cit. nu. 4. Molina Disp. 281. num. 12. Barbosa lo. cit. num. 17. Pirhing lo. cit. n. 37. Engel h. t. ad fin. & communis aliorum. arg. l. Si Pater. 34. & l. Aquilius. 27. ff. h. t. Ratio est; quia Donatio remuneratoria, vel ob causam, non est proprie Donatio, cum non sit merè liberalis, uti supra jam num. 3. probatum est. Si tamen Donatio excederet merita, quoad excessum ob ingratitudinem revocari posset. Pirhing. lo. cit. & alii. Ratio est; quia quoad excessum est merè liberalis, consequenter propria Donatio.

Tertio, Donatio facta, ratione dotis, ob ingratitudinem revocari non potest, l. Si dotem. 24. C. de Jure dotium. & l. fin. C. de Dotis promiss. ibi: Liberalitas talis maneat vera & irrevocabilis.

Quarto revocare non valet Donator rem à tertio, cui eam Donatarius jam vendidit, donavit, permittit &c. Engel h. t. num. 20. Harprecht in §. 2. Insist. h. t. n. 167. Pirhing h. t. num. 36. Zoëlius arg. l. His jolis. 7. C. de Revocand. Donat. Ratio est; tum quia actio revocatoria ita personalis est, ut contra tertium non datur; nisi forsàn in fraudem alienasset rem donatam, sciente eo, in quem alienatio facta est; cum fraus & dolus nemini patrocinetur: notis Juribus: tum ne illi, ad quem res legitimo titulo pervenit, delicto præjudicetur alieno.

Resp. VI. Secunda causa principalis revocandi Donationem est, si quis liberis carens, omnia sua bona, vel majorem, aut dimidiam, vel notabilem partem donet, & postea unam, vel plures liberos acquirat, textu claro. l. Si unquam. 8. C. de Revocand. Donat. ibi: Si unquam liberis parvulis filios non habens, bona omnia, vel partem aliquam facultatum fuerit Donatione largitus, & postea susceperit liberos, totum, quidquid largitus fuerat, revertatur, in ejusdem Donatoris arbitrio ad conditionem mansurum. Quamvis enim textus tantum de Donatione liberis facta loquatur, tamen juxta communem DD. etiam ad extraneos, id est filios, qui non sunt de numero liberorum, seu descendendum Donatoris, extenditur. Tum quia donans tacitè hæc conditione donasse præsumitur, nisi mihi adhuc liberi nascantur: cum nemo censetur extraneos propriis præferre liberis. Clarus §. Donatio. q. 22. q. 1. Ripa in cit. l. Si unquam. q. 2. dicens hæc esse communem Legistarum, & Canonistarum. Molina Disp. 282. n. 2. Engel h. t. n. 17. Pirhing eod. n. 40. cum communi. arg.

arg. l. Cum avus. 102. ff. de Condit. & demonstrat. l. Cum acutissimi. 30. C. de Hærecommissis. Tum quia eadem utrobique mittat ratio Legis jam allegata, sicut & sequens, videlicet, quod verisimile sit, Donantem de filio non cogitare, consequenter in eum eventum, quo eidem liberi nascantur non donasse, Reg. 8. de Reg. Jur. in 6. ob quam etiam rationem procedit Conclusio, est unica tantum nascatur proles; præsertim cum appellatione liberorum etiam unicuique comprehendatur filius, l. Non est. 148. ff. de V. S. Hinc etiam si quis unicum filium habens donet, revocare Donationem nequit, etsi post Donationem plurimi alii eidem adhuc nascantur: quia non est sine liberis, cui vel unus filius, undæ filia est, cit. l. Non est. Bruneman. ad L. 8. ff. de Revocand. donat. n. 6. König h. t. n. 32.

70 Dicitur notanter in Conclusione, si notabilem partem donet; quia modica Donatio, ob liberos potè natos revocabilis non est, juxta communem DD. Quanta autem esse debeat Donatio ad hoc, ut sit revocabilis, Judicis arbitrio determinari debet juxta Clarum lo. cit. n. fin. Covarruviam Variar. Resolut. lib. 1. cap. 19. num. 13. Menochium de Arbitr. Judic. casu 133. n. 2. Molinam Disp. 282. nu. 5. & alios. Quamvis consentiant à potiori, non tantum dimidiam partem, sed etiam illam quantitatem sufficere, quam non donasset, si de filiis cogitasset, aut illos se suscepturum scivisset.

71 Caterum limitatur Conclusio primò, si Donatio facta est Ecclesie vel aliis piis causis; tunc enim non nisi usque ad legitimum revocatur. Abbas in c. fin. h. t. n. 5. Clarus §. Donatio. q. 23. nu. 2. Molina loc. cit. n. 10. Engel h. t. n. 18. Covarruvias lo. cit. n. 5. Pirhing h. t. nu. 43. & communis aliorum: Tum quia Ecclesia, atqueque piæ causæ habentur instar liberorum, arg. Auchen. Si qua mulier. C. de SS. Eccles. juxta communem DD. Donatio autem facta filio non in totum, sed tantum ad legitimum revocatur, L. 5. & 7. C. de Inoff. Donat. Tum quia donans Ecclesie, vel aliis piis causis, principaliter Deo donat, quem utique, sicut & animam suam plus quam liberos amare censetur, ut bene observat Abbas loc. cit. consequenter donaturus præsumitur, etsi de filiis adhuc suscipiendis cogitasset.

72 Nec obstat can. Quicumque. 43. cau. 17. q. 4. ubi Augustinus de Episcopo, qui donatum Ecclesie iterum restituit Donatori ob liberos eidem natos, ita dicit: In potestate habebat Episcopus, non reddere; sed jure fori, non jure poli. Nam respondetur, quòd per hæc textum imprimis confirmetur limitatio nostra quoad forum externum, per verba Jure Fori: Dein per verba non jure poli non innuitur obligatio ex justitia, vel lethali culpa, sed ex honestate aliqua & æquitate naturali; quatenus nempe Deo magis placitum est, magisque ad ædificationem populi cedit, si liberis postea natis totum Donatori reddatur, uti explicat Glossa ibid. Molina lo. cit. n. 10. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 12. n. 20. Engel h. t. n. 18. Covarruvias lib. 1. cap. 19. d. n. 5. longam pro favore nostro explicationem dicti textus faciens.

73 Limitatur Conclusio secundò in Donatione remuneratoria vel ob causam facta, ob Jura & rationes n. 2. allegatas.

74 Resp. VII. Tertia causa principalis revocandi Donationem est; si sit inofficiosa id est, tanta, ut filius non maneat legitima (hæc enim Donatio inofficiosa dicitur tot. Tit. C. de Inoff. Donat.) tunc namque liberi tam exstante tempore Donationis, quam postea nati post mortem donantis patris, vel matris Novell. 92. revocare donatum possunt usque ad legitimum. L. 1. §. 7. & 8. C. de Inoff. Donat. five dein in unum aut plures filios, five in extraneos facta sit inofficiosa Donatio. L. 1. eod. ibi: Sive in quosdam liberos,

sive in extraneos exhausti. Porò facultas revocandi inofficiolam Donationem etiam parentibus competere potest; si nempe liberi eorum tam excessivas Donationes faciant, ut non remaneat eis de Jure debita legitima, casu quo præfati Donatores absque liberis, seu nepotibus moriantur. Molina Disp. 283. & alii. l. Si filius. 4. C. eod. Ratio est; quòd querela inofficiose Donationis in omnibus fuerit introducta ad similitudinem inofficiose Testamenti parentibus competit. l. Nam est. 15. ff. de Inoff. Testament. ergo eisdem etiam querela inofficiose Donationis competit.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

I Ratio continuationis.

Opportunè inter Titulum de Donationibus, & Titulum de Testamentis, præfens Rubrica inseritur, ut melius intelligatur conditio bonorum, de quibus Clerici vel in vita Donationes, vel causà mortis testamentum, atqueque dispositiones factæ, vel non facere possint.

§. I.

De Natura, ac divisione bonorum, seu Peculii Clericorum, eorumque dominio.

SUMMARIUM.

- 2 Peculium Clericorum quid?
- 3 Est quadrupes: Patrimoniale nempe.
- 4 Quasi patrimoniale, seu industriale.
- 5 Stole redditus secundum aliquos non sunt industrialia bona, sed Ecclesiastica.
- 6 Probatur.
- 7 Juxta communem verò sunt bona industrialia.
- 8 Præsentia, seu Distributiones quotidianæ an sint bona industrialia? controvertitur.
- 9 Probabilis est, quòd non sint.
- 10 Solvitur instantia.
- 11 Bona Parimonialia quid?
- 12 Ecclesiastica Clericorum quid?
- 13 Clerici habent perfectum dominium bonorum parimonialium.
- 14 Et quasi parimonialium seu industrialium. Inferitur doctrina practica.
- 15 Atque parimonialium.
- 16 Nec non Ecclesiasticorum ad honestam sustentationem necessarium.
- 17 Probatur ex Jure.
- 18 Et Concilio Tridentino.
- 19 Nec non ratione.
- 20 Confirmatur.
- 21 Doctrina practica.

Quæritur I. Quid sit, ac significet Peculium Clericorum? Resp. Esse, & significare idem, ac bonum, seu bona Clericorum: quæ in Rubrica hujus Tituli dicuntur Peculium ob quamdam similitudinem, quæ habent cum Laicorum Peculio descripto. l. Deposuit. 5. §. fin. ff. de Pecul. ubi Peculium dicitur illa bona, quæ servi, & etiam filifamilias à bonis domini, vel patris separata habent. Quibus conformiter, quia bona sua Clerici à bonis ad Ecclesiam immediate ac directè spectantibus, ejusdem Ecclesie permittit separata de facto possident,